

05

A

1266



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-638536-p0002-8

DFG

4723  
D. F. G.

De

# CONNUBIIS IL- LUSTRIUM,

Suffragio Superiorum  
*in Illustri ad Albitm Universitate*

P R A E S I D E

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo*

Dn. CRISTIANO Röhrenseel  
Moralium Professore Publico celeberrimo,  
Domino Patrono, & studiorum Promoto-  
tore eâ; quâ par est, observantia devenerando,  
disferet

MICHAEL Büring/Lipsiens.

Ad d. 5. August. A. MDCLXXXII.

VVITTENBERGÆ,

Prelo CHRISTIANI FINCELII.

27

D R C  
De  
CONINCIAS IL.  
PURSTYLM



D R C R 199 A 50

MICHAEL CONINCIAS  
PURSTYLM

URSUS  
CONINCIAS IL.

S. I.

**Q**vod Polionis, qvi civilium sui temporis bellorum historiam meditabatur, ab amico Horatio vocatum fuit in memoriam:

*Periculosa plenum opus aleæ  
Tractas, & incedis per ignes  
Suppositos cineri doloso.*      l. 2. carm. od. i.

Fatigans forsan jure advertere in hac, quam aggredior, materia ac vereri potuisse, in qua par quoque difficultatis reperitur locus. Intrare enim aulas Principum & secretiora cubicula, & præcipua vulgare orbi, operosa res est, præsertim hoc tempore, quo hominum natura ita in vicia degenerat, ut ex optimis quibuscumque rebus una cum lacte sanguinem exugere soleant. Sed quia negari non potest, quod virtutum vitiorumque certamina non nisi in aulis videantur atrociora; modestiae semper habenda ratio est, & majestatis, quam ubique venerari oportet, id quod etiam animum maximam in spem erexit, fore, ut veniam impetrem, si nonnullis, qui fortasse plura expectabunt, a me non satisfactum fuerit.

S. 2. Sed ut feliciori postmodum cursu progrederetur, de nominibus quædam erunt præmittenda. Conubia enim aliis dicuntur Matrimonia, Conjugia, Confortia, & quod inter nos frequentissimum est, Nuptiae. Res ipsa secundum diversum considerandi modum diversa quoque sortita est nomina. Observavit enim Valent. Guilielm. Forster. tr. de Nupt. c. 3. quod matrimonium

dicatur respectu finis, nempe procreationis sobolis, ex  
quā uxor matris nomen adipiscitur: Metaphorice vero  
nominetur Conjugium, quod videlicet jungantur nu-  
bentes, & sub jugum matrimoniale mitrantur. Ab effe-  
ctu Consortium. Ab adjunctis & solennitatibus adhi-  
bitis Nuptiae & Connubium. Nubere vero, unde Nu-  
ptiae & connubia descendunt, nihil aliud significat,  
quam tegere & velare. Videri potest *Thesaurus Fabri au-*  
*etior editus. add. Ovidius l. 4. fast. &, qvi hujus rei causam*  
*dat, Festus, l. 1. c. 6. flammeo, dicens, amicitur rubens boni o-*  
*minis causa; qvod assidue eo uiteretur Flaminis uxor, cui non*  
*licebat divortium facere.*

S. 3. Naturam euidem connubiorum sufficien-  
ter exp̄ osuerunt Politici pariter atqve JCti, definientes  
ea per justam ac legitimam maris & foeminæ conju-  
nctionem, ad individuam vitæ societatem, & dividentes  
modis variis, quæ omnia optime videri possunt apud  
eit. Forster. c. 5. & 6. Attamen est omnino hujus rei aliquia  
ratio, quod Illustrium connubia in specie distinguantur  
à privatorum, & quæ ornamentum, dignitatem, ampli-  
ficationem, & conservationem publicam intendunt,,  
ab iis, quæ saltem privatum spectant commodum. Quo  
pertinet illud Meleandri ad Argenidem: *Privatorum*,  
dicentis, est, eligere matrimonia ex amicitie affectu, aut mo-  
rum concordia. Nobis illa suaditas exuenda. Regum enim,  
fortuna est, ut nunc indignos, nunc exosos per sanctissima fæ-  
dera sibi conjungant; nunc omnium nexuum jura, omnisque  
sanguinis caritatem inhumana necessitas negligat. Carissi-  
mus esse soler, qpi utilitate præcipua potentiam nostram alit;  
& affinitates pulcherrimæ censemur, quæcunque regna stabi-  
lunt. Barcl. l. 3. p. m. 304. Videtur enim personis illustri-  
bus in ejusmodi nuptiis interdum aliquid concedi ma-  
jus,

ius , interdum minus , qvemadmodum vel necesitas ,  
vel reipublicæ utilitas id expedit , qvod ex subseqventi-  
bus facilius erit colligendum .

§. 4. Et qvia ejus rei in primis curam habere insti-  
tui , ut freqventiores exponam consuetudines , qvæ  
hoc tempore in aulis observantur , necessitate scilicet  
aut utilitate id svadente ; neqve ea præterea , qvæ ob  
eundem ibi finem ex mea sententiâ diligenter caveri  
solent , principio statim oritur qvæstio ; an sit imposi-  
tum Principibus officium ducendi uxoris , qvamvis ab-  
horreant , in primis si salus publica id exigat , & per hoc  
componi possint offensiones , disidia , similitates ,  
turbæ , factiones atqve bella ? Communis alias Polit-  
corum regula est , multa esse facienda contra animi sen-  
tentiam , si ide republicæ salute esse videatur . Qvod  
vel hæc regula in actionibus Principum etiam locum in-  
veniat , vel exinde colligi potest : Cum olim VVamba  
Gothorum Rex detrectaret coronæ splendorem ac po-  
tentiam , cuius tamen imperium maximè salutare vi-  
debatur omnibus , dux qvidam è proceribus gladio ne-  
cem minatus , nisi assentiret , dixit : *An unus totius gen-  
tis voluntati repugnes , tuque tranquillitati communem omni-  
um salutem post habeas ? Job. Mariana l. 4. hist. Hisp. c. 12.*  
Qvamvis autem tam rigorose , præsertim cultioribus his  
temporibus , procedendum haud censuerim , exemplo  
tamen esse poterit bellum , ab Ottocaro Bohemorum  
Rege inceptum , & per plures annos in ejus posteris pro-  
latum , qvod aliter componi non potuit , nisi inito an-  
no 1331. inter VVenceslaum Ottocaris filium , & filiam  
Rudolphi , & vicissim inter Rudolphi filium & VVen-  
ceslai sororem matrimonio . Et ut hoc addam , potest  
exinde sperari hæres paternorum virtutum & imperii ,

In quo duret memoria generis & familiæ, & ab interitu vindicetur. Successionem etiam in Imperio nostro ac temperari electioni, moribusqve Germanorum optimè convenire, haud difficulter potest judicari.

§. 5. Principes enim Germania commissas sibi olim provincias tam facile, tamqve feliciter in principatus mutare, aut jus successionalis in iis postmodum firmare haud potuerint, nisi populus tacite dedisset assensum. Expectandæ etiam hodiè essent turbæ, qvos vel populus excitaret vel optimates, si is deligeretur, qvi omnium acutissimo gauderet gladio, aut aliis eminenter virtutibus. Quidam enim assentirent, qvidam ex ambitione diversum sentirent. Sed in successione, qvæ nunc apud eos servatur, simplicitate qvadam hac in parte non culpanda, adducti, credunt, *sibi fortuna datum esse principem non ascitum, neque velut acquisito imperio gloriantem, sed natum educatumqve in aula, privatissimè intacatum incunabulis, quem statim ex alto prodiester in imperatoria purpura suscepit, simulq; sol hominem viderit & principem, ut jure meritoq; debeat colere principem, non datum sibi, sed natum.* Quemadmodum Imperator Commodus introducitur apud Herodianum l. i. c. Scripsierunt alias hac de re magni nominis Politici, Bodinus, Arniæus, Bernegg. & Boëcler. qvibus addi possunt, qvæ egregie disputata sunt apud Barclay. Arg. l. i. p. m. 304.

§. 6. Sed videamus, qvid de illâ consuetudine sentiendum sit, qvando principes impuberes vel despondentur, vel etiam matrimonio junguntur, ita ut in futurum, adveniente justâ ætate, per copulam carnalem has nuptias consummare debeat. Exemptum videatur apud Londorpium in act. publ. p. 1. cap. 96. Steidanum lib. 13. p. 353. Id autem fieri à parentibus prudentissimis, & qvi

qui curam habent reipublicæ maximam, sanc negari non poterit. Et quamvis nonnullis iniqvum videatur, Principibus statim in infantia adimere libertatem, neq; semper optatum exinde ominari possimus exitum, quem admodum anno 1543. Gvilielmo Duci Clivenfius uxoris, quam cum ante biennium in Gallia nuptias contraxerat, eamque ob immaturitatem ibi reliquerat, postea negabatur, refer. Sleidan. l. 15. p. 401. seq. add. l. 17. p. 488. Intelligunt tamen principes, quantum saluti publicæ debeant tribuere. Elissa Carthaginis Regina salutis patriæ etiam ipsam vitam, si res exigat, deberi contendit. ap. Justinum l. 18. c. 6. Et Tiberius Imp. aliquando in Senatu dixisse fertur: Dux & nunc, & saepè alias, P. conscripti, bonum & salutarem principem, quem vos tantum & tam liberâ potestate instruxistis, senatu inservire debere, & universis civibus, saepè ac plerumque etiam singulis, neque id dixisse me pœnitet. add. Samuel Pufendorff. dissert. de oblig. adversus patriam. Ob hanc certe causam nuptias nuperrime inter Illustrissimum principem Ludovicum, Marchionem Brandenburgensem, & Principem à Raziviliam contractas fuisse existimandum est, accumbentibus solum ipsis in lecto, (quæ appositiō in lectum inter nobiles & illustres servari solet, & pro ingressu tori conjugalis habetur, ut refert ex Beust. de jure Canniborum cit. Forster. de Nupt. cap. XI.) neque alium habuisse finem, quam ut Illustrissimus parens Elector & filio consuleret, & provinciis Principis, quas tutorio nomine tunc temporis administrabat. Quo rcferrri debet illa etiam consuetudo, quando visis tantum pictis tabulis, in quibus futuri conjugis forma & vultus arte expressa est, viræ sociam sibi eligunt Principes: Licet autem longe interdum præstantius exhibeant tabulæ personæ ele-

gantiam,

gantiam, non tamen impediet matrimonium, quia trahit aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publicare rependitur. Tacitus, Ann. 14.

§. 7. Consensu autem nuptias fieri & res ipsa probat, & docet Ulpianus l. 15. ff. de condic. & demonst. l. 30. ff. de R. f. Paulus l. 2. ff. de R. N. Imperator Nov. 78. c. 4. Et impactis matrimonialibus inter Ludovicum Hungariae & Bohemiæ regem, & Mariam, Hispaniæ regis filiam, & inter Ferdinandum Austriæ Archiducem, & Annam, Vladislai regis si iam, habentur hæc verba: Antecedente ad hoc mutuo, ac expresso, quantum per statutum licuit, eorum consensu ac voluntate, proferente prefato Rege Ludovico hac verba formalia: EGO LUDOVICUS ACCIPIO TE MARIAM IN MEAM LEGITIMAM UXOREM, contra autem ipsa domina pronunciante: EGO MARIA ACCIPIO TE LUDOVICUM IN MEUM LEGITIMUM MARI TUM, & qvæ seqq. apud cit. Londorpium in act. publ. P. 1. c. 96. Hic verò perfectum adesse consensum ob ætatis imbecillitatem negari fortasse poterit, adeoque pro luctu iterum dissolvi matrimonia posse quis arguerit. Sed huic responderetur, qvòd omnino consensus etiam in iis, qvi nondum plenè adoleverunt, perfectus sit censendus, si expressè non videantur dissentire, aut se opponere voluntati parentum, qvorum tanta hac in parte auctoritas est, ut ab omnibus sperari possit & debeat, fore, ut per ejusmodi Nuptias rām liberis, qvām Imperio non male consulatur. Hæc enim ambo dum conjunguntur, Parens suo officio satisfecisse intelligitur, & filius cotensisse propter bonum publicum. Bonus enim Princeps nunquam detrectabit qvocunque modo consulere reipublicæ.

§. 8. Excluditur itaque omnis modus ducendi uxorem

uxorem, in qvo excluditur Consensus tamen nubentium, qvam eorum, in qvorum sunt potestate, ita ut indecorum videatur, vel per apertam viu, vel occultas insidias, aut alias clandestinas artes rapere virgines, & habere ad matrimonium. Paridi olim Helenanxor regis Menelai in prædam cesit, infausto tamen exitu. Seqvebatur ira Procerum totius Græciæ, mox bellum, & tandem excidium Trojæ. Nec causam reddit meliorem, si vilioris fortis mulier fuerit, & qvod LL. non præsent Majestati, sed Majestas LL. Qvousqve tamen hæc libertas se extendat, expositum est apud H. Grotium J. B. & P. I. i. c. 3. §. 16. l. 2. c. 4. §. 2. L. 3. C. de Testam. Clapmarium. de arc. I. 3. c. 4. Nec utilitate poterit excusari, qvia utilitas par jus non facit cum necessitate. Hug. Grot. c. l. 2. c. 22. §. 6. & 7. Certè ubi honestas & naturalis verecundia perdidit locum, ibi imperium politicum geritur sine religione, & forsitan non feliciori exitu, qvam qvo tractaret ensem furiosus auro & gemmis nobilem.

S. o. Quantum verò noceat interdum Regnis atque Imperiis hic infirmissimus sexus, experta olim est Roma in filiabus Fabii Ambusti, experti Franci in Prunegilde & Fredegunde, Angli in Catharina Parra anno 1549. Ut ægræ videoas illustrem aliquam conversionem regnorum, aut mutationē, qvibus audaces non simul inferuerint manus. Ut ergo hoc malum evitetur, circumspiciendum est Principi, qvalis illi eligenda sit Uxor, & an dona animi fortunæ donis præponi debeant, qvod simpliciter verissimum esse judico, vel ideo, qvia qvemcnqve semper hominem omnium optimè ornant. Præcipue verò reqviritur Prudentia, Pietas, Castitas, rara eqvidem in seqviori se xu, sed utilissima, & qvibus aliis in foemina malis ponitur terminus. Magna enim illis inest vis perfadendi, major impotentia in firmandis affectibus, maxima fraus &

neqvitia, qvando secretorum consiliorum notitia ga-  
dent, à qvā tamen sedulò ac diligenter arceri debent.

§. 10. Formæ ratio & Proceritas, item ætas justa a-  
lias se facile commendat, & multum auctoritati tribuit,  
qvod notissimum. Sed an potentiae & divitiarum ratio et-  
iam habenda sit, ardua est qvæstio, & qvæ maximam  
exemplis ostendit difficultatem. In Gallia Johan Baptista  
Gaston, (qvi erat frater Regis Galliæ,) ambiendi matri-  
monium ditissimæ Principis a Mompensier, haud leve im-  
minebat periculum ex factione *l' aversion du mariage*. Vid.  
*Gramondius Hist. Gall. l. 16.* Comes etiam Lauzunensis ideo  
incidit in iram Regis Galliæ. Mutato enim subito ejus fa-  
vore deducebatur in custodiam, ejus rei maxima tunc cre-  
debat causa, qvod petiisset matrimonium Annæ Mariæ  
à Mompensier, filiæ Gastonis, & virginis Galliæ itidem  
ditissimæ. Vid. *acta publica de anno 1671.* Quantum ad no-  
strum imperium, facile observari potest, qvod Principes  
Germaniæ freqventiori usu receperint antiquum illud A-  
xioma: Vicinum ne habeas multo potentiorem. Qvem  
in modum etiam judicavit *Gucciarinus l. 7. hist. Ital.* Sci-  
licet Germaniæ Principes Imperatoris sui vires nimis au-  
etas haud voluisse. Galliæ Regis potentiam expertus est  
Dux Luxemburgicus, alii: qvæ forte aliquem mouere pos-  
sint, ut credat, hoc axioma non improbandum interdum  
esse, modò pax non violetur, aut foederum religio. Et hæc  
causa est, qvod apud nos etiam periculo non careant  
splendida opibus matrimonia.

§. 11. Illud tamen non obiter notetur, qvod interdum  
per Nuptias, & affinitatis gratia odium politicum extingui  
posfir, sicut *Julia f. Cesaris filia nupia Pompejo, Generi fo-  
riq. concordiam matrimonii fædere tenet*, cuius morte statim  
erupit *amulatio Flor. l. 4. c. 7.* §. 3. Sentiunt etiam Turcarum  
Prin-

Principes aliquam in eo utilitatem, qvi filias suas Basis  
Visiriis in matrimonium collocant. vid. *Busbequius consil. de*  
*re mil. contr. Turc.* & plura in utramqve partem congesit.  
*Clapmarius arc. l. 2. c. 13.*

§. 13. Junguntur interdum Illustres hominibus vi-  
lioris fortis & plebejis, maximo etiam reipublicæ detri-  
mento. Versat animum exemplum Catharinæ Medices,  
qvam sibi elegit Dux Aurelianus, Henrici Galliæ Regis  
frater anno 1533. *Admiratus plerosq; disparitatem conjugii di-*  
*cit Sleidanus lib. IX*, qvi ibidem familie Mediceæ fata atqve  
fortunam aliquatenus attingit. Subseqvebatur autem fe-  
ralis exitus, qvoniam Catharina omnibus in id consiliis in-  
tendebat curam, ut regiam marito acqvireret dignitatem.  
Quidam Galliæ proceres morte sua ejus ambitionem luere  
debuerunt, inter reliq;os saginabat odium, qvò res faci-  
lius ex voto cederet, & qvod omnium maximum est, Re-  
gicidii maxima creditur causa. Thuanus dum haec narrat,  
addit: *Adfinitatem nuper cum Clemente contractam tanto sce-*  
*leri causam dedisse posse a compertum est, quando inscio marito;*  
*verum illo mortuo, cum frater proximus esset, ut in regnum pa-*  
*ternum succederet, omisso rei indaganda cura est, & suppressa ve-*  
*ritas.* Qvare optimè fecerunt antiqui Britones qvi pecu-  
liarem sanxere legem; *Ne ullam pars in copulandis conju-*  
*giis propriis fortis terminos transeat, sed nobilis nobilem ducat,*  
*liber liberam, libertus jungatur liberta, & servus serua.* vid. *Sel-*  
*denus in Jano Angl. l. 1. n. 23.* Sed ut multa exempla prætere-  
am, qvæ in medium afferri potuissent, observari hoc præ-  
fertum tempore potest, ingratam esse ejusmodi personam  
subditis, exosam potentibus, afferre patriæ turbas, vel  
aliud malum, qvod sentiens Dux qvidam Bavariæ, filii sui  
Alberti amasiam, Agnes Bernauin nomine, chirurgi fili-  
am, terribili mortis genere è medio tolli curavit.

§. 13. Est etiam maximum momentum in eo positum, ut paritas religionis attendatur. Quid enim Angliæ & Germaniæ hactenus nocuit magis, quam diversitas religionis, sive imperantium, sive subditorum? Ludovicus XIV. Rex Galliæ propterea, quod non exiguum exinde sentit immi-nere periculum, omnes hodie reformatæ (ut vocant) fidei homines terris suis exigit. Etsuperioribus temporibus in Germania, ipse invictissimus animo, pariter ac prudensissimus, Joh. Fridericus Saxonie Elector rescindebat sponsalia cum Catharina Caroli V. Imperatoris sorore inita. Erat enim haec Imperatori mens, ut per id matrimonium, eò facilius B. Lutheri dogmata supprimeret, & Electorem ad pontificiam fidem rursus pertraheret. Vid. Sleidanus lib. 6. p. 145. Paulus Langius in Chron. Cittens. Quia non ignorabat, persuationibus, quibus gaudent mulieres callidissimis, sapientissimum olim aliquando seductum fuisse.

§. 14. Referunt nonnulli ad arcanum imperii factum Claudi, qui in matrimoniuin duxit Julianam Agrippinam fratris sui Germanici filia, addit Tacitus lib. 12. Ann. c. 2. Ne foemina experta & cunctatis, integra juventa claritudinem Caesarum in aliam domum transferret, sive ut ego paulo apertius dicam, ne alii potenti domo conjungeretur, unde postea prætensiones & successionis jura oriri possent. Antonius Caracalla duxit novercam suam, & a sapientibus audivit, Imperatoris esse LL. dare, non accipere. Aelian. Spart. in ejus vita. Superiori seculo, anno 1534. notabilem habuimus casum, ubi Henricus, Angliae Regis Henrici VII. filius, parentis sui voluntate, & Pontificis Maximi Julii II. permisso, fratris sui germani, tunc demortui viduam, Catharinam sibi matrimonio junxit, filiam regis Hispaniarum. Et quamvis haec necessitudo cum Hispanis parenti maximè commoda vide-retur, filius tamen post obitum patris imperium nactus, tranqullo animo esse haud poterat, quippe quem incesta-

rum

rum nuptiarum conscientia tenebat constrictum. Tandem Pontificis Innocentijpetitum est auxilium, cuius cum delegati rem viderentur distrahere, Rex ipse, qvi jam tum abstinuerat à congressu uxoris, ex ea tamen ante filiam Mariam procrearat, convertit amorem ad Annam von Bolen/ex gynæco virginem formosissimam, & fecit divor-  
tium *Vid. Joh. Sleid. l. 9. p. 220. seq. add. p. 744. 751.* Qvod vel ab ejusmodi nuptiis, qvæ cum sangvine aut affinitate fiunt, abstinere debeamus, docet *Hug. Grotius J. B. & P. lib. 2. c. 5. §. 12. seqq.* ex causâ, qvod imprimis, qvamvis nulla extaret lex divina, ab eo nos deterrere debeat naturalis verecundia, & qvod natura, si id non præcipiat, contrarium tamen honestius dicit. Qyibus etiam insistere Principem oportet, ita tamen, ut majori ei, si visum fuerit, libertate, qvoad leges humanas, qyibus alias solitus est, uti concedatur, qvā juxta præstantiam commodorum metiri debet, sicut Gotthorum LL. regibus hac in parte aliquid majus concede-  
bant. *Cassiodorus VII. 46.*

§. 15. Neqve tamen meliorem deincept fortunam, habuit laudatus Henricus VIII. cum dicta Bolenia, qvæ pro-  
citate sua & lasciviatorum conjugalem turpiter foeda-  
vit, qvam tamen injuriam Rex postea ferro ultius est. Paulo  
post An. 1539. sibi elegit virginem elegantissimam Annam,  
ducis Olivensis sororem. *Sleidanus lib. 12. p. 320.* Hac vero an-  
no 1540. etiam repudiata, novum init matrimonium cum  
Catharina Hevarda, qvæ Nordfolciæ ducis è fratre erat ne-  
ptis. *Id. p. 339.* cuius rei qvi fuerit exitus, postea docebitur.  
Alii sunt qvi pellices habuerunt, qvemadmodum Carolus  
VII. Rex Galliæ Agnetem Soreliam. *V. Robertus Gragninus  
bis. Franc. l. 2. c. 4.* Girardus de rebus Franciæ. lib. 23. & Dux  
Brunsvicensis Eam suam Trottinam, qvam vitam exce-  
fisse omnibus creditibus, in arce Stauffenburg claram deti-  
nebat. *Sleidanus p. 409.* Pessimè autem facere principem, qvi  
nulla

nullâ existente verâ ac legitimâ causâ, Uxorem, cui fidem-  
connubio semel adstrinxit, repudiat, vel exinde colligeat  
Grotius, qvia fides matrimonio contracta non immetit  
æqviparatur vitæ. Qyi vero promiscuam venerem habent,  
nec non scortis indulgent, certissimum sibi accelerant pe-  
riculum, vel illo modo, qvo Alexander Medices periit, qvem  
*Laurentius Medices nocte per insidias A. 1537. interfecit, cum in-  
suas edes eum traduxisset, injectâ spe potiunde cujusdam Matro-  
ne nobilis, vicina sue, qvæ forma & pudicitie laude ceteris ante-  
ibat. Sledanus p. 271. vel m. ut Sardanapalus, qvi toti Monar-  
chiæ Assyriorum lascivia sua finem imposuit. Chron. Sebæt.  
Franci p. 13. Id ipsum fortasse evenisset Mahumedi II. Qvi oc-  
cupata Constantinopoli Virginis cujusdam amore nimium  
captus tenebatur, nisi se ipsum vincere potuisse. Cum enim  
hac re impedirentur belli cogitationes, indignationem pro-  
ceribus movit. Qvod sentiens Turca, fortissimum injic-  
consilium, & detestabile carnificis ministerium occupans,  
præstantissimæ forma virginis caput ferro deject. Dextrâ  
etiam in principe sanctam ferè esse, & multis modis præfe-  
rendam sinistræ, docet Phil. Camer. hor. succif. c. 35. Qvod so-  
latio esse potest veris uxoribus. Secundariæ enim tantū sinis-  
trâ manu junguntur, & Uxor's legitimæ nomen dignitatis  
nomen est, teste Ælio Commodo Vero. Ref. Spartiano in ejus  
vita. Estq; rei humanæ atq; divinæ domus Socia, ut loquitur  
Imperator Gordianus in L. 4. C. de crim. expil. her. His enim  
illustrium virorum testimoniis condecorantur. Neq; ve de-  
signari debent Mariti & uxoris nomine, qvi contra leges  
contraxerunt Nuptias. Imperator §. 7. f. de Nupt.*

§. 16. Nondum autem mutata fuit Henrici VIII. for-  
tuna in conjugio cum Catharina Heduarda. A. 1542. Uxo-  
rem enim capite plecit qvodcum eam pro virgine duxisset, antea  
fuisse corruptam atque vitiatam comperisset. Qvi vitiarat, in-  
Hyberniam concesserat, ubi publici qvid muneris habebat: revo-  
ky-

catus autem ab illa jam regina, & in familiam adscriptus, capite  
muletatus fuit post eam, ut alii quidam, partim ob idem flagi-  
tium, partim ob reticentiam. Ea sublata sextam rex dicit Ca-  
tharinam Parram. Sleidanus lib. 367. An ergo ex hac re justa  
qvædam divertii causa repeti possit principi, videamus.  
Certe injuria, qvæ hic æstimari poterat ex qvalitate per-  
sonæ, per qvam tota regio maculam accepisse videtur, ex-  
cusatur qvalitate loci. Torus enim conjugalis est locus  
maxime secretus, & qvæ hic accident, eleusiniis sacris de-  
bent esse taciturniora. Neqve hic videtur injuriandi ani-  
mus, sed culpa potius ipsius principis fuisse, qvam in se  
convertit, qvando ea divulgavit, qvæ fine damno potuis-  
sent occultari; ubi id obtinere videtur: Volenti non fit in-  
juria. Sed divertio dignam fuisse, movet qvod matrimo-  
nium sit bonæ fidei contractus; hic autem intercesserit  
dolus malus, qvi vitiat contractum. Accidit certissima su-  
spicio adulterii, qvod nempè in familiam Catharina rece-  
perit illum, qvi vitiasse eam postea compertum fuit. Morte  
verò an digna fuerit Regina, in id nostrum non est inqui-  
rere. Notissima est omnibus Anglicæ crudelitas, & si Regis  
dignitatem spectes, illam fortasse non injustam fuisse sen-  
ties; sed qvæ odia, qvæ bella exinde seqvi possint, videant  
alii, qvibus hæc difficultas commissa est.

§. 17. Aliam prætendebat divertii causam Magnus  
Germaniæ Princeps, nempè denegatam cohabitationem.  
Non tamen hanc rem sufficere, & plane virtuoso principe  
indignum esse, adducimur primò, ex eo, qvia alias usu re-  
ceptum est apud plerosqve principes, ut singulis noctibus  
torum conju galem non ingrediantur, sed alium qvivis ha-  
beat dormiendi locum sejunctum. Neqve hoc solum pro-  
cedit in viris senio confessis, fortasse ne noceant sibi, vi-  
tamq; longius adhuc ducentam corrumpant, morbosam-  
qve faciant, sicut Ludovicus XII. Galliæ Rex, qvi juvencu-  
lam

lam duxerat regis Angliae sororem. *Ghiardi. l.12. ad A. 1515.*  
& propterea non multò post rebus humanis exemptus  
est, ut indicat *Thuanus l.21. p.31.* Qvod nemp̄ nullo atatis re-  
spectu recenti amori licentiosius indulgeret. Sed etiam, ne viri  
juvenes corpori damnum inferant, vel multitudine proli-  
xum Reip. noceant. Secundò, qvia non decet virum ætate,  
provectioni, qviqve jamtum genuit liberos, rebus venereis  
indulgere, sed magis talem se præstare, ut credant omnes  
natura factum esse, ut sponte coelebs vivere possit. *Cæliba-*  
*tus enim talis excellentissimis tantum animis convenit*, dicente  
*H. Grotio f. B. & P. L. 2. c. 2. §. 21.* Non dicam, qvod spe præ-  
miorum, aut metu eo adduci possint mulieres, ut volunta-  
tem suam marito facile conformem faciant, & qvæ simi-  
lem in modum arcana in aulis excogitantur.

S. 18. Sed plura taceri debent. In ampla hac materia  
frequentiores adduxisse consuetudines sufficiat, meam-  
qve sententiam pro ratione ingenii interposuisse. De cæte-  
ris magis occultis judicent secretiores aularum Ministri.  
Non enim me later exemplis pariter atq; narratis, qvod ha-  
beant nonnulli apud se principes fæminam quandam vultu for-  
mosissimam, qvam magni faciunt, induunt ueste longiori ad ta-  
los usque descendente: hæc altero pede plerumq; claudicat, non-  
nunquam ut roq; etiam, quo fit, ut agerrimè ferant, si ventus  
qvispam ab austro aut septentrione spirans uestes, qvibus hæc  
puelle uestia teguntur, qvandoq; attollit. Quare instituere per-  
multos, qui non secus hujusmodi ventos buccis plenis absorbeant,  
atq; charybdis & scylla marinas aquas, & qvæ in iis sunt, de-  
glutire conserverunt. Qvod ægnima autor Lucas Contilis,  
ipsemet ita solvit: Principum vitæ conditio permultis ex-  
petita, potentia prudentiaq; nititur, & magna autoritate  
exornatur: qvam veritas denudare & imminuere; adulato-  
rum autem ora obtegere conserverunt. Add. qvæ sequun-  
tur apud Phil. Camerar. c. 100. Qvibus finem dis-  
fertationi meæ impono.

05 A 1266


ULB Halle  
003 765 571

3





### Farbkarte #13



F. G.

425  
UBIIS IL-

RIUM,

Superiorum

bim Universitate

SIDE

plissimo, Excellentissimo

ANNO Röhrensee/

e Publico celeberrimo,

studiorum Promo-  
bservantia de venerando,  
seret

Büring / Lipsiens.

A. MDCLXXXII.

NBERGÆ,

ANI FINCELII.